

cuique. Voce enim, et lingua, eas animi passiones exprimunt, quæ intus latent, prout et nos facimus, et Scythæ et Indi, et reliquum omne hominum genus. An vero quia sermonem illorum non intelligimus nos, non concedentur ea loqui? At hac eadem ratione, quotusquisque hominum est, qui plura duobus, aut tribus, aut etiam quatuor idiomata calleat. Quia reliqua totius orbis innumera, non percipiat, homines illi non dicentur sermone uti? Vana hæc est ratio, nisi forte ita intelligatur, ad sermonis humani comparisonem, bruta non videri loqui, neque quo ad dearticulationem, neque, quo ad significationum claritatem, et amplitudinem, quibus tam varias artes, tam varias tractamus scientias quod illa nequeunt. Esto. Sed hæc non est in eis, aut orationis, aut rationis omnimoda negatio. Sed maiore tantum differunt, et minore. At alia ex parte, quotus quisque hominum est, qui sine disciplina, et ea quidem laboriosa, aut aliam, aut maternam linguam, aut scientiam calleat? Aut artem. Quæ omnia sine disciplina ulla, bruta animalia, et callent, et operantur, evidenti satis ratione. Nam opera, quæ animus bruti peragit, duplicia videntur esse. Vel enim agit, circa seipsum, et quasi in se ipso, vel extra se ipsum. Circa se ipsum dico, eum animum agere, quando ipse, corpus sibi ipsi fabricat, et quasi domicilium sibi constituit, in quo habitet. Quam rem longa satis disputatione, Plato atque Aristoteles Mystici comprobarunt, corpus inquam suæ speciei proprium, sibi quisque fabricat animus. Ursi animus, non equi corpus, neque Leonis animus Asini sibi corpus domicilium construit. Et se eo quasi circum voluit, illud tamen vivificat, nutrit, adauget, conservat. At quo, Deus bone, artificio? Qua arte? Inerrante, inerrabili fere, stabili certoque, et pro materiæ copia, et qualitate, semper ordinato, seriatimque contexto. Nam aliter sane ac cernamus vermes illos sericeos, eodem semper tenore, et pastum suum sumere, et ei indormire tot dies, deinde filamenta ex se producere: exinde nere incipere, vescicis se se obducere tam densis, ut perspiramento æris excluso, in eis tandem emoriantur. Et in volucrem versi inde erumpere: et prolem, in annum maturam fructum, de se relinquere. Hæc ipsis oculis percipimus. Alia in ventribus cæcis, atque in archanis uteris, eadem opera, idem opus efficiunt, summa ratione omnia confecta. Secundum operis brutorum genus est, quando scilicet extra se, aliquid summa itidem ratione operantur. Ut aves plurimæ suos nidos ita efformant, ut humana ars nulla, id queat vel imitari, vel assequi. Quid foetuum partus, tutamina, nutrimenta, curas enimeres? Si possis. At hæc quoque admiratu potius, quam observatu quis possit consequi. Quæ omnia summa effecta esse ratione, nemo sanus videtur negare posse.

Attamen duo sunt etiam antiquitus ad hasce rationes obiecta. Alterum, quod videtur axioma. Uno contrario in natura posito, poni est necesse, et alterum. Itaque si rationale animal detur, homo, dæmon, Angelus, necesse est etiam irrationale animal in natura reperiri. Alterum, quod, quæcumque a Pythagoreis, a Plutarcho, a Porphyrio, dicta et adducta sunt ad demonstrandum brutis animalibus rationem inesse, id totum naturæ, et non animi opus esse.

Ad quorum primum respondemus. Verum ut plurimum esse, duo contraria in rerum universitatis generibus reperiri. Non tamen in omni. Nam verum est, reperiri rationale non tamen verum est inter animalia reperiri irrationale. Alioquin necesse esset, quoniam animal vivens reperiat, reperiri etiam animal non vivens. Animal sentiens, et animal non sentiens. Animal quod nutriatur, et animal quod non nutriatur. Et animal quod senescat, et aliud quod non senescat, et similia alia concedere, esset necesse absurdissima. Est tamen in rerum natura aliquid irrationale. Ea nimirum omnia, quæ a sua integritate avulsa, et divulsa, non amplius beneficium quod prius habebant, sentiunt. Quæ ideo e mortua etiam debent reputari. Sed quando cum suo toto vivebant, quia nihil in integra natura caret ratione: ratione nimirum sua propria, et vivebant, et nutriebantur, et sentiebant, et pro eorum natura etiam intelligebant. Verissimum enim illud Stratonis physici dogma fuit. Nihil vivere sine sensu. Nihil sentire, aut cognoscere sine intellectu. Omnis namque cognitionis fontem primum demonstravimus iam antea, esse intellectum, sicut vitæ, ipsam vitam, et essentiæ ipsam essentiæ. Et unitatis, ipsam cuiusque Idealem unitatem. A quibus superis principiis, in